




303 Med A 4to T. 6

Med. 16, 6.

~~8~~

Druck Lib. II

Ne. 130





ROLANDI CAPELLVTI
Philosophi & Medici Parmensis
DE CVRATIONE PESTIS
Tractatus.

Editio nova emendatior cura
H. CONRINGII.

Brunsviga,

typis Dunckerianis, Anno clo c l c xliix.

VIRO CLARISSIMO
HERMANNO, H.F. CONER-
DINGIO, Medico Brunsvicensi
felicissimo,

Capellutum hunc memoriae
& amicitiae causa consecravit

HERMAN. CONRINGIVS,



HERMANNVS CONRINGIVS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.



Commentariolum tibi edimus, Lector benevole, exiguum quidem mole, atq; à paucis laudatum, nisi tamen admodum fallor, usu per insignem, ut cum aliorum magnis ejus argumenti scriptis queat contendere. Auctor sane illius usq; est adeò inter paucos cognitus; ut etiam illi; qui Medicorum Scriptorum nomenclatores summâ adhibitâ diligentia ediderunt, nominis affinitate decepti hunc eum esse Rolandum Parmensem crediderint, cujus exstant quatuor Chirurgici libelli ex Rogerio cum primis transcripti. Eum enim errorem cum errasset magnus vir, Conradus Gesnerus, in sua eundem scripta transtulerunt Paschalis Gallus, Iohannes Schenckius, alii. Verum ille quidem Rogerij sectator initio seculi post natum Seruatorem tertij decimi vixit, quod facile ex Guidone de Cauliaco est intelligere; noster autem ad quintum decimum seculum pertinet. Ejus erroris haud aliam quidem comminisci causam queo, quam libelli raritatem; Quo factum uti in paucorum notitiam pervenerit; nemine laudante, quod in vulgus ignorabatur. Ipsum tamen libellum, ut ejus auctor ignotus, ut sermo sit barbarus, ut parvitate despectus sit, longè dignissimum esse, qui à multis legatur, quilibet paulò doctior & rerum medicarum peritior, credo, mecum judicabit. Multa certè habentur in eo isonomia, qua cum ad notitiam pestilentium affectuum, tum ad eorum rectam curandi rationem faciunt unicè. Enim verò si ullo alio in morbo, in his profectò maxime deficiunt nos historia medica; Quo fit, ut, dum pleriq; eandem in omnibus illiusmodi affectibus sequimur curandi rationem, quasi eadem omnes naturâ sint, non nisi paucissimi sanentur. Ex variis autem obser-

A 2

vationibus

MAJOR

uationibus atque historiis demum rectius aliquid dabitur concludere. Est autem in illis recensendis noster penè totus occupatus. Non est meum nunc laudare vel corrigere, quæ benè, quæ malè ab ipso sunt scriptæ. Id, Lector, tuo sit iudicio commissum. Ego etiam eâ religione in edendo sum usus, ut tamen si nonnulla occurrerint, quæ sensum commodum non exhibeant, multa item admodum barbærè dicta: nihil tamen horum voluerim mutare, satius arbitrans, uti veniam vel ab ætate, in qua vixit, vel ab imperitiâ primi editoris auctor impetret, quàm ut à me immutetur: præsertim, quum omnis ejus laus à rerum doctâ narratione dependeat, non verò à sermonis elegantia. In uno, explicatione indiget, ne in calumniam trahatur: quod nempe arsenicum commendat carbunculo pestilenti inungendo; Possit enim videri laudasse illud album facticium, quod nãt ἄροξιν nunc Arsenicum audit. Verum ille vel auripigmentum indicare voluit, quod solum Græcis veteribus est ἀρροεινόνον vel Sandaracham, quæ hodieq; officinis est Arsenicum rubrum. Hanc certè & Avicenna & Mesuei interpretes sæpenumero simpliciter Arsenicum videtur appellasse. Qui enim fiat verisimile ab illis in asthmatis & icterici cura propinatum arsenicum album esse, aut in phthisi paraturn suffitum ex illo albo? Sandaracham autem in carbunculo non absurde, arbitror, usurpavit noster Rolandus. Ceterum hoc obiter esto in excusationem ejus dictum. Tu verò,

Lector, vale ac
fave.



ROLAN.

ROLANDI CAPELLUTI CHRYSO-
POLITANI, PHILOSOPHI PARMENSIS, AD MAGI-
strum Petrum de Gnalandris de Parma Chirurgi-
gicum optimum

TRACTATUS
DE CVRATIONE APOSTEMATVM PESTIFERO-
RVM INCIPIT FELICITER.

EXitus rerum prudentia metitur; Si prudens
ergò est animus tuus, exitum considera & non prin-
cipia, quæ sæpè hominibus mellita esse videntur,
quorum exitus est amarissimus. Respice, ne cum
tota familia te corrumpas, dum ingentia auri pondera accumu-
lare optas. Cognosco equidem, quod ad hoc periculum te
potiùs avaritia inducit, quam charitas. O quantos ad malum
finem avaritia deducit? Quid enim lucrari intendit in illa infe-
lucissima urbe, quæ omni miseria est plena? Affirmo, quæ-
cunque dicis: quod regnante *Ανθώνια* à pestilentiatis magna
munera Medicis donantur: tamen lucrari solidum sine pericu-
lo magis præstaret, quàm cum periculo ducatum. In literis tuis
me rogas, mea experimenta & aliorum peritorum Medicorum
experta, quæ ad manus meas devenerunt, & practicam, quam
exercui in nobilibus urbibus, in quibus regnante peste me re-
peri, tibi in uno brevi volumine scribere vellem. Crede mihi
non vana loquenti, qui nunquam practicæ, sed tantum me con-
silio dedi; nonnullos tamen experitis nostro tempore cognovi-
mus, qui se ipsos practicæ dederunt, qui morte perierunt. O im-
memor tuæ familiæ! propter lucrum morti te tuosque tradere
noli. Non metuis ea, quæ à cunctis metuenda sunt? Currente 1468.
anno me in urbe nostra reperi, in qua non parva, sed horrida vi-
guit pestis, quam similem nunquam vidisse nec videre credo.

Nullus

A 3

Nullus amor, nulla caritas in Parmigenis erat, sed omnis immanitas & crudelitas in eis regnabat; vicinus vicino opem præstare nolebat, frater fratrem, viri uxores, & uxores viros, parentes filios & filii parentes derelinquebant; Homines non tam peste, quàm potius necessitate moriebantur. Quod pejus: Parochiani nec confessionem, nec sacratissimum corpus Christi, nec extremam unctionem infirmis donare volebant. Fratres mendicantes & Parochiani defunctorum corpora in propriis urnis sepeliri vetabant. Quam primùm ad aures officialium veniebat quod unus ægritudine aliqua laboraret, immediate officiales magnâ cum satellitum catervâ gressus suos cum furore & impetu ad domum illius accelerabant, vel illum in domo recludere, vel de domo expellere, & ad Sanctum Leonhardum ire faciebant; qui locus hominum macellum erat, & in quo omne genus luxuriæ committebatur. Plus immanitas & latrocinia in dicto loco vigeant, quàm amor & caritas; In urbe verò tanta facinora perpetrabantur, quod nec lingua fari, nec manu scribere possum. Per urbem subiratores officialium ibant, & si pauperum porcos inveniebant, illos interficiebant & vendebant. Et ex dictarum carniū porcinarum comestione magno regnante calido, prout regnabat, mille homines infectati sunt & perierunt. Cùm ergò regnat pestis, tanquam mortem fugite porcinas carnes.

Cessatâ epidemiâ Medici, qui pestilentiatu medebantur, ab Officialibus detenti & incarcerati fuerunt, illisque imputabant mille latrocinia & homicidia, & pecunias, quas cum magno labore & periculo lucrati fuerunt, eis eripuerunt.

Ne tibi & cæteris legentibus tædium nostra præstet pagina, quàm brevius potero, tuæ petitioni pro posse satisfacere decrevi.

Ex corrupto aëre, & ex corporibus superioribus, ex caristiaque, & ex foetore cadaverum, ac etiam contagio, pestilentiam in
cor.

corporibus humanis consurgere videmus. Secreta naturæ, quæ peritissimis Physicis antiquis & modernis ignota fuerunt solus Deus novit. Ideo non spernenda, sed notanda sunt signa, quæ & in morte & post mortem humanis corporibus adveniebant. Alij peste moriebantur, qvi in extremis quasi ad os genua applicabant, & ita eorum corpora attracta seu adstricta remanebant, & hoc magis fortibus corporib. adveniebat, quam debilibus & prostratis. Alij peste moriebantur, quorum corpora denigrata erant. Alij solum renes habebant denigratos. Alij moriebantur, quorum corpora tota mutata erant. Alij solum coxas & pectus mutatum habebant. Alij erant, quorum corpora à proprio colore mortuorum non mutabantur, sed post aures vel juxta oculum dextrum vel sinistrum nigredinem quandam ad lentis similitudinem habebant. Alij etiam erant, qvi corpora crocea & tumefacta habebant. Alij etiam erant, qvi in corporibus habebant vesicam quandam ad similitudinem glandis, quæ lardo plena esse videbatur. Alij etiam moriebantur, qvi glandulas in locis emunctorijs vel alia apostemata venenosa in corpore tenebant. Alij etiam suffocabantur, ab ore quorum non parva quantitas sanguinis emanabat. Facile quidem est scribere, sed arduum & difficillimum est naturæ secreta cognoscere posse. Multa egregia Adjectiva nostris experimentis adduntur, ut verum, probatū, mirabile, & expertum, quæ in probatione non vera, sed falsa esse cognoscimus. Ideò per optimè locutus est sapientissimus Hippocrates in priore partic. aphorismorum & in 1. aphorismo, cum dixit: *Vita brevis, ars longa, tempus acutum, experimentum verò fallax, iudicium autem difficile.*

Necesse est ergò sapienti & experto Medico, ut pestilentiatis continuè & à principio in confortatione cordis & spiritalium cum confortantibus & evacuationib. universalib. & particularibus, bonoq; nutrimento instet. Ideò verbis mentem advertere debes,

debes, qui onus pestilentiatorum assumere intendis. Quibusdam enim adveniebat acutissima febris cum maximo dolore capitis, & passione renum, orisq; stomachi dolore, ac etiam laterum, hypochondriorum, & cum vomitu & nausea, pulsu cordis, casu virtutis & syncopi. Secundâ verò die in locis emunctoriis glandula, vel aliud apostema venenosû, ut anthrax vel carbuncul⁹ in corpore oriebatur. Etiam quibusdâ acutissima febris cum apostemate venenoso & cum sævis accidentibus superius nominatis mortem indicantibus adveniebat: Si verò isti, quibus hæc sæva accidentia adveniebant, phlebotomabantur, spiritus cû sanguine exibat: Ideò hæc cura soli etiam omnipotenti Deo servâda est.

Aliqui etiam erant, quibus adveniebat acutissima febris cum apostemate venenoso sine accidentib⁹ superius dictis: hos quidê sine ulla mora à latere, in quo apostema ortû erat, phlebotomare imperabam⁹, si virt⁹ & ætas tolerare poterant. Alij etiã erant, quibus acutissima febris cû magno capitis dolore adveniebat, & in secundo die apostema venenosû oriebatur: hi quidê si phlebotomabantur, orto apostemate in vomitum, nauseã, tremorê cordis & syncopê incurrebant, & moriebãtur. Alij erant, quib⁹ sine apostemate adveniebat, & ita profundebãtur in somno, quod astantes eos nullo modo evigilare poterant, & ita moriebantur. Alij etiã erant, qui apostema venenosû cum febre & profunditate somni tenebant & moriebãtur. Alij etiã erant, qui acutissimã febrê sine apostemate in corpore tenebãt, & neq; somnum neq; requiê capere poterant, & moriebãtur. Alij etiã erant, qui apostemata sine acutissima febre in corpore tenebant, & solùm cû emplastris maturantibus illa ad exiturã devenire faciebant, & etiã cum cerotis & vñctionibus ac etiã purgationibus illa debebant. Scire autem debes, quod malignis & pestilentialibus morbis citissima convenient remedia, quæ si differantur, nihil conferunt remedia. Ideò principiis est resistendum, ut ait Poëta non insuavis:

Principiis

9.

*Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

Illis, quibus acutissima febris cum apostemate & sine apostemate & cum sævis accidentibus supra nominatis mortem indicantibus adveniebat, omnino phlebotomiã & solutivum præstare recusabamus, sed hoc modò iis succurrere imperabamus:

Adverte, quod pestis multum debilitat & contaminat naturam; Ideò pestilentiati bonis cibis & substantialibus sunt sæpe nutriendi. Multiplica ergò in eis numerum & minue quantitatem. Rec. ergò pulpas gallinar, vel capon, & minutim illas incide, postea cum aliquibus amygdalis dulcib. optimè contunde: hoc factò cum brodio destilla per thamisum, & pone in aliquo vase terreo bene vitricato ad calefaciendum: & calefactò adde modicum vini granatorum vel agrestæ, vel aquæ rosatæ, vel alterius aquæ cordialis, ut melisæ, borraginis &c. De hac potione sæpè pestilentiato præbe. Hoc enim fieri debet de tribus horis in tres vel quatuor horas, vel plus.

Alia aqua magnæ virtutis & substantiæ, quæ multum ægrotantibus convenit, quando nõ possunt aliquid comedere. Rec. unum caponem bene pinguem, vel unam gallinam, & minutim incide, & ejus ossa per optimè frange, & in alembico vitreo ad destillandum pone. Et si vis aquam cordialiore facere, perlas, ducatos, & fragmenta lapidum pretiosorum, & corallo rubros potes imponere, & de hac potione sæpè pestilentiato dare.

Potest & alio modo hac potio cordialis fieri.

Rec. Vnum caponem bene pinguem & minutim incide, & ejus ossa optimè frange, & in vase vitreo pone, & cū dicto capone Vnc. ij. manus Christi finis. 6. vel 8. ducatos, perlarum, lapidum pretiosorum fragmenta & corallo. rub. ac etiam substantiam trium vel iij arantiorum optimè mundatam adde, vaseq; obturato in duplici vase hanc potionem per 5. vel 6. horas facias bullire, postea de dicta potione ægrotanti præbe.

B

Mixtura



Mixtura cordialis.

R. Sachar. rosar. Violat. Bugloss. Borrage. Meliss an. Unc. ij.

El. de gemmis Unc. ss. May. Christ. finiss. Unc. ij.

Man. Christi terantur, & cum dictis saccharis admisceantur, & cum uno vel duob. foliis auri fiat mixtura. Hæc mixtura potest cum aquis cordialib. dissolvi, postea per tamisum colari, & de dicta colatura cum aqua cocta frigida infirmis exhiberi.

Rec. Etiam Iulep de aurantiis, de citro, de limonibus an. Drach. j. Misce & eum aqua cocta frigida infirmis præbe.

Rec. Iulep. rosar. Violat. Oxysacchar. an. Unc. j.

Misce & cum aqua cocta frigida infirmis præbe. Hæc potiones cor confortant, & calorem febrilem extinguunt. Epithema in febribus pestilentialibus omnino convenit; propterea ne tardes ipsum cordibus infirmorum applicare.

Rec. Aq. Rosar. Unc. iiij. Meliss. Borrage. Acetos. Bugloss. an. Unc. ij.

Pub. rosar. Sylvestr. Santalor. Albor. Rubeor. Corall. alb. rubeor. an. Drach. jss. Croc. Camphor. an. Drach. ij.

Omnia simul misce & in dicto epithemate periam de grana infunde & aliquantulum exprime, infirmorumque cordibus sæpissime appone. Potest etiam fieri hic Sacculus Cordialis.

Rec. Ros. Sylvestr. Fl. Borrage Bugloss. anthos. Meliss. an. Drach. ij.

Camphor. Drach. ijss. Musci Scr. j. Hyacynth. Smeraldi. Granator. an. gr. ij. Santal. alb. rub. Corall. rub. an. Drach. j. Auri & argent. fol. num. ij. Croc. Drach. ij.

Ex omnibus istis fiat sacculus de rub. syndone. Postea habeatur tegula calefacta & cum aqua rosar. & aceto vernacio optimo adspargatur, deinde sacculus tegulæ superponatur. Postea infirmorum cordibus applicetur.

Et digno odoro bonificatur cor & confortatur. Ideo sæpè hoc odoramentum à pestilentiatis est odorandum.

Rec. Pub. ros. sylvestr. Santal. utriusq. Fol. Lauri Rad. Caryophyllat. Valeriã. an. Drach. ij. Caryophyllor. Cinamom. Nuc. Mosch. Cuminelli. Spic. Nard. Meleget. Storac. calam. Camphor. an. Drach. ijss. Croc. Scr. ij. Musc. Scr. j.

Omnia subtilissimè pulverisa & in syndone de grana ligentur & ab infirmis sæpè odoretur. Stot-

11.

Stomachum, ut vomitui resisteremus, cum ol. de cydoniis, vel de mentha, vel de mastich, vel de absinth. seu de spica inungere faciebamus, postea modicum pulveris caryophyllorum superaspergere imperabamus.

Vinum pestilentiatis omninò impendere recusabamus : Illis solùm aquam coctam frigidam concedebamus eosque carnibus pullorum, quod sint cæteris carnibus meliores & saniores, nutrire faciebamus. Cameras ex thure seu incensu vel ex granis Iuniperi & aliis rebus odoriferis suffumigare imperabamus, illasque ex aceto & aqua rosarum adspargere faciebamus.

Fronde vitium, salicumque ac etiam persicorum per cameras prosternere imperabamus.

Vnctiones & emplastra, quæ pestiferis apostematibus approximabantur, atq; etiam à doctoribus medicinæ ponuntur, difficillimum mihi esset connumerare. Ideò tuæ sufficientiæ relinquo, ut meliora exerceat & deteriora relinquat.

Nullus barbitonorum in urbe reperiebatur, qui pestilentiatis phlebotomare vellet, præter unum, quem habere posse erat difficillimum. Ideò illis, quibus apostemata venenosa cum acutissima febre oriebantur, hoc modo succurrebamus.

Si barbitonores cito & tempore convenienti habere poteramus, immediatè pestilentiatum de latere, in quo apostema ortum erat, phlebotomare faciebamus, ut, si glandula erat sub ascella dextra, de brachio dextro, & si sub sinistra de sinistro, & si sub ambabus ascellis, de venis amborum brachiorum. Si verò apostema continebatur post aurem dextram, de vena manus dextræ; & si post sinistram de sinistra, & si post ambas aures de venis ambarum manuum. Et ita de coxis intellige.

Sunt tamen, qui dicunt, phlebotomiam posse differri usq; ad 12 horas. Vidimus tamen, quod illis, quibus apostema venenosum cum acutissima febre adveniebat, si usq; ad illud tempus phlebotomia differebatur, magis nocebat, quàm juvabat.

Adverte tamen, quod pestilentiati, quibus apostema veneno-

sum cum acutissima febre oritur, si spacium istius temporis præterierint, nullo modo phlebotomandi sunt, quia spiritus cum sanguine exit. Cave etiam, quod in locis emunctoriis nullo modo repercussiva apponas. Si ergo regnante peste accideret, quod phlebotomatore tempore convenienti habere non posses, tene ordinem, si tibi placet, quem in succurendo pestilentiatis tenebamus. Ventosam ter aut quater affocatam super apostemate, si potes, appone; si non potes, illam inferius per tres aut quatuor digitos, pone, postea cum rasario fortem fac scarificationem. Hoc facto ventosam bene affocatam super scarificationem multoties reitera, ut non parvam quantitatem sanguis attrahat. Quod si sanguinem attrahit, bonum signum est; Si verò sanguinem non attrahit, malum signum est. Postea hoc emplastrum calidum superpone.

Rec. Ammoniac. Unc. ss. Bdell. Serapin. an. Drach. ij. Euphorb. Castor. an. Ser. j. Synap. Pyrethr. an. Drachi. Ficuum pinguium num. iiij. Ferment. acris Unc. ss.

Gummata in optimo vino albo per optimè solvantur & co-
lentur, deinde omnia simul, ut decet, misceantur, & F. emplastr.

Postea cum Emplastro maturativo procede, illud sæpè iteran-
do seu mutando usq, apostema maturatum fuerit, maturatoque il-
lud cum gamati, aut cum sagittella per optimè aperi, postea more
chirurgicorum procede. Sed semper in tuo digestivo bonam qua-
ntitatem aluminis Saccharini pone

Sed mente tene, omni sero dare infirmo unam pillulam imperi-
alem vel alteram appropriatam & omni mane potionem istam.

Rec. Syr. de Citr. Unc. jss. Terra sigillat. Drach. j. Aq. Scabios. Unc. ij.
Misce & infirmo præbe.

Loco syrupi de citro potes uti syrupo de limon. vel de aurant.
vel violat. vel rosat. vel oxyfacchara. Et sic de aliis pesti cōferētib⁹.

*Rec. Cass. bene pinguis & noviter extract. Unc. ss. Eleët. de succ. rosar.
Psyll. an. Drach. ij. Dissolv. cum aq. scabios. & cum Unc. j. Syr. viol.*

F. potio brevis.

Hanc potionem interdum pestilentiato præbe. Etiam ex aliis
solu-

solutivis potes secundum quod tibi videbitur, potiones similes isti proponere. Clysteria etiam in istis casibus utilia sunt.

Rec. Cass. Unc. j. El. de psyll. Unc. ℥.

Dissolv. in decoctione communi & cum

Unc. iij. ol. violat. & pulv. Sacchari Unc. j. & modico Salis

F. Clyster.

Si glandula esset in coxa dextra, hepar cum epithemate isto epithemeretur.

Rec. Aq. Endiv. Solatri Plantag. Aq. Semperviv. an. Unc. ij. Acet. opt. Unc. iij. Bol. Armen. Terra sigill. an. Drach. ij. Santali. utriusq. Corall. rub. Spod. an. Drach. j. Camphor. Drach. j. Croc. Drach. ℥.

Terenda terantur & cum aquis & aceto F. epithema.

Si verò esset in coxa sinistra, splenē cū epithemate isto epithima.

Rec. Aq. Endiv. Aq. Borrage. Aq. Bugloss. an. Unc. ij. Acet. opt. Spod. Carab. an. Drach. j. Santalor. utriusq. Corall. rubr. an. Drach. ℥. Camphor. Scr. ℥. Croci Scr. j.

Si glandula esset sub axilla dextra, cum epithemate cordiali supra descripto cor epithima. Si verò in sinistra contineretur, epithema cordiale retrò circa regiones cordis appone, & non supra cor propter emplastrum, quod apostemati superponitur, quia interdū ista apostemata ita amplum occupāt locum, quod propter unctio- nes & emplastra cor non potest epithemari; sed si potes, epithema supra cor superpone.

Et quanquam apostema in diversis corporis partib⁹ continetur, tamen semper cor epithemare debes. Si verò post aures apostema continetur, ventosas spatulis & naticis cum scarificatione forti appone. Ventosæ spatulis appositæ apostematib⁹ post aures contentis juvant; Etiā ventosæ cum scarificatione naticis applicatæ apostematibus sub axillis & in coxis contentis nō parvam utilitatem præstāt. Ventosæ naticis appositæ cū bona scarificatione quasi phlebotomiæ venæ communis æquipollet.

Ordinem, quem circa glandulas, bubones & similia tenebamus, intellexisti. Nunc verò de carbunculis, anthracibus, prunis, & similibus nota,

Carbunculos, antrhaces & similia cum isto defensivo circum-
circa per aliquos digitos perunge.

Rec. Aq. Solatri. Aq. Semperviv. Aq. Plantag. an. Unc. iij. Ol. Ros. Unc. j.

Bol. Armen. Terr. sigill. Sangu. Dracon. an. Unc. iij. Acet. alb. opt. Une. iij.

Omnia simul misce, & circumcirca carbunculum perunge.

Postea super nudū caput apostematis hoc emplastrū superpone.

*Rec. Calcis viva, Sal. nitr. Cantharidum, Virid. aris. Vitriol. Rom. combust.
an. Draeh. j. Arsenic. Drach. iij.*

Omnia subtiliter pulverisentur & cum saponem molli & melle in-
corporentur & F. emplastrum non admodum durum, sed aliquan-
tulū molle, quod apostemati superpone. Mortificato apostemate
Butyrum vel axungia, donec remota sit eschara, pone; postea mo-
re chirurgorum procede, & ut superius dixim⁹, cū substantialibus
cibus pestilentiatis rege, in quib. semper modicū agrestæ, vel vini
granatorum fac imponere. Vitella ovorum recentium forbilia
etiam pestilentiatis utilia sunt.

Illis, quib⁹ acutissima febris cum dolore capitis advenit, postea
in aliquo emunctoriorū loco apostema oritur, in succurrendo eis
hunc modum tene. Immediatè eodem latere quamprimū vena se-
canda, vētofas spatulis & naticis cum bona scarificatione appone,
& sequente die eis pharmacū, vel aliud, quod tibi videbitur, præbe.
Orto apostemate, sicut superius diximus, procede.

Quos verò acutissima febris cum profunditate somni tenet, fac
omninò, ut eos evigiles & cum clysteris, potionibus, & ventosis, si
potes, eis auxilium dones.

Illis, qui apostema venenosum cum acutissima febre & profun-
ditate somni tenent, sicut superius dixim⁹, in succurrendo procede.

Qui verò acutissimam sine apostemate & cum apostemate te-
nent, & die noctuque nunquam requiem capere possunt, meliori
modo, quo potes, cum rebus confortantibus, ac etiam bonis & de-
licatis potionibus & clysteris eis succurre.

Qui verò apostemata sine acutissima febre tenent, hos quidem
fac phlebotomare, si potes; sin autem, cum ventosis, emplastris, po-
tionibus

tionibus & clysteriis, sicut dictum est, procede. Tamen in istis credo, quod phlebotomia ad 12. horas differri possit, Sed in illis, quibus apostemata venenosa cum acutissima febre adveniunt, nullo modo phlebotomia usque ad illud tempus debet differri; sed quanto citius fit tanto melior & salubrior existit. Multi tamen ex istis, qui apostemata venenosa, sine acutissima febre tempore pestis tenent, propter magnas crapulationes & potationes vinorum fumatiū, ac etiā ex superfluo coitu, in sava accidētia incurrunt, & moriuntur. Ideo ista tēpore pestis, tanquam mortale venenum fugienda sunt.

Sunt enim urinae pestilentiatorum aut lividae aut superjugales; Et hoc dicunt med. Doctores, & hoc est verum; aliquando tamen apparet oppositum & hoc nostro tempore sēpē vidimus, quod urina pestilentiati in substantia & colore parum differat ab urina sani. Est etiam ejus urina aliquando ruffa vel rubea, vel spissa vel foetens. Idēo adverte, Medice, ne decipiaris, quoniam in istis temporibus multi decipiuntur, & multae etiam fallaciae committuntur.

Aliqua ex medicaminibus, quibus vulgus magis utebatur, tibi in isto brevi opusculo scribere decrevimus.

Aliqui erant, qui regulas seu thiapas cuporum optimē affocatas in fortissimo aceto extinguebant, postea in pannis de canipa rud. & unctuosus involvebantur, & ita calidas apostematibus applicabant, Ex hoc nonnulli evadebant nonnulli moriebantur.

Aliqui etiam cum oleo de vermibus terrestrib. calido sua apostemata inungebant. Aliqui etiam cum istis oleis calidis, sc. de camomillā, de lilio, de anetho & de sambuco mixtis sua apostemate ungebant, postea ex malvavisco, malva, Lapatio acuto, capis comestibilibus vel lilio sub prunis bene maceratis, cum butyro & axungia, fermentoq; & croco emplastrum componebant, & calidum suis apostematibus applicabant.

Alij etiam erant, qui dialthæam optimē solvebant, & tam calidē quā tolerare poterant, sua apostemata inungebant, & revera sibi utilem & proficua reperiebant.

Aliqui etiam erāt, qui ventosis apostematis superpositis & bene
scari-

scarificatis, cū illis quatuor oleis de camill. &c. apostemata unge-
bāt, postea emplastrū de gummiscalidū apostematib⁹ applicabant.

Aliqui etiam erant, qui apostemata venenosa in corpore tene-
bant, & apium raninum, quod pes milvi vulgò vel anseris nuncu-
patur, inter lapides vivos contundebant, postea testam nucis im-
plebant; & si in sinistra in crure sinistro dictam testam ponebant,
quæ faciebat quandam vesicam, quam aperiebant, postea cum bu-
tyro ungebant. Et ita si in alijs locis emunctorijs apostemata erant,
dictum medicamen manibus vel brachijs applicabant, uniendo
semper eorū apostemata cū oleo de camilla, anetho &c. Postea
emplastrum de malvavisco suis apostematibus superponebant.

Aliqui etiam erant, qui testam nucis viridis de cortice vit. albæ
inter lignū & superiorem corticem existentem implebant, & sicut
dictum est de apio ranino, simili arte de isto laborabant. Aliqui etiā
erant, qui apostematibus in tibijs & coxis sanguisugas applicabant.

Aliqui etiam erant, qui quamprimum febris illos invadebat, u-
num bonum cochlear sulphuris vivi optimè pulverisati cū me-
dio scypho vini albi subtilis aliquantulū tepidi bibebant, & ex ma-
gna virtute & potentia hujus medicamenti apostemata à corpore
exibant: orta cum emplastro & oleis supra dictis procedebant.

Aliqui etiam erant, qui cape Ascalonicum, & spicam allij & 20.
grana piperis cum sale & calce viva contundebāt, & cum melle &
sapone liquido emplastrū faciebant, postea testam nucis dicto em-
plastro implebant, quam anthraci vel carbunculo superponebant.

Aliqui etiā ex sanis erant, qui se ipsos à peste præservare volebāt,
& cum cantharidib⁹ & fortibus herbis & acutis medicaminib⁹ sua
crura ulcerabant, ulceratisque cum butyro & axungia procebant.

Multa etiam alia medicamina, quib⁹ vulgus utebatur ibi, potuif-
sem addere quæ quod & mihi scribenti & tibi legenti, cæterisque
intuentibus tædium inferant, prætermittere decrevi.

Bene vale & tuum Rulandum Capellutum Chrysopolitanum
Philosophum ad tua vota respirantem intellige. Sed iterum te ro-
go, ut omnium rerum tuarum exitum consideres.

F I N I S.




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ROLA





Ula 333

Med. Doct. univ.

I. b. Hift. litt. med.

ULB Halle

3

006 814 832




Med. Doct. univ.

I. b. Hift. litt. med.

A. Hift. dogm.

VDM





ROLANDI CAPELLVTI
Philosophi & Medici Parmensis
DE CVRATIONE PESTIS

Tractatus.

Editio nova emendatior cura

H. CONRINGII.

Brunsviga,

typis Dunckerianis, Anno dō cī c xliix.

